



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium

Brusch, Kaspar

Nürnberg, 1682

Rogkhenburgum, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-38166

gendo tamen equitatu inter cognatos suos, vicinos Comites & Regulos, tacite interea cogitat ac laborat, Imperator interposita autoritate sua, missisq; ex Auguita Vindelicorum (quo habendorum comitiorum ergo venerat) publicis literis, bellum inhibuit, pacemque mandavit magno Ulmenfis Reipubl. commodo. Bellum hoc à finitimis *Caprarum Bellum* (quod propter capras ^{Caprarum bellum.} coepisset) & in Ulmenfium ignominiam, *Pisorum Bellum* vulgatis nominibus, *der Geiß und Schefen-Krieg* nuncupatum est.

ROGKHENBURGUM, Præmonstratensium ordinis magnificentissimum in Suevia cœnobium, duobus milliaribus ab Ulma Sueviæ metropoli, dimidio vero ab oppido Fuggarorum Weiffenhorn situm, ædificari est coeptum año Christi 1126. à Bertholdo, Sifrido & Conrado, germanis fratribus, Comitibus de Bibregk, & à Domina Demutha, Bertholdi Comitissæ conjugæ, quæ Comitissa erat à Zollern. Est in eo celebris sepultura primum fundatorum, postea etiam Dominorum de Asch, imprimis vero Conradi Equitis aurati, & Wolfgangi, utriusque item uxorum ac liberorum. Primi hujus cœnobii gubernatores appellabuntur Præpositi, quorum omnium vix sola supersunt nomina, unde in prolixo carmine (quod 19. ætatis meæ año de Rogkhenburgensium annalibus scripsi) in hunc modum inter cætera lusi:

*Præpositos, primos rectores atq; parentes,
Carminè debebam nobilitare meo.*

*Sed nihil omnino possum decernere certi,
De quibus ipsa etiam Bibliotheca tacet.*

*Dum nil scripserunt rebus de talibus illi,
Ad quos spectabat plurimum is ipse labor.*

*Ipsa sepulchra tamen monumenta q; prisca loquuntur,
Bertholdum primum sceptrâ tulisse domus,*

*Quem de Kinsekho testantur saxa Baronem:
Cetera de vita meq; aliosq; latent.*

*Præpositos alios taceo, cum sola supersint
Nomina, quæ nihil hic utilitatis habent.*

Abbatibus vero ad hæc nostra usq; tempora hi præfuisse leguntur. *Abbatum*
I. Joan-Series.

Bbb

Handwritten notes in red ink on the book's spine, including the word 'Chronologia' and other illegible characters.



1. *Joannes Dewingerus*, Ingeftettans, ex proximo pago oriundus, eligitur anno Christi 1440. Præfuit annis 34. Resignavit Abbatiam anno Domini 1474. Egregius monasterii illustrator decessit ex hoc mortali seculo anno Domini 1477. Sepelitur in dextra abside prope chorum.

2. *Ulricus Bellerius*, Gunsburgius, ex Augustani Episcopi oppido natus, eligitur anno Christi 1474. Præfuit annis 10. Decessit ex hac vita anno 1484. Condidit ambitum cum contiguo beatæ Virginis sacello, in quo vivus sibi sepulturam statuit.

3. *Georgius Piclor*, primus Abbas Infulatus, eligitur anno 1484. Præfuit annis 21. Obiit anno Christi 1505. decima octava Decembrium, in sinistra chori abside sepultus.

4. *Joannes Molitor*, Memmingensis, patre consule natus, eligitur anno 1505. Præfuit duobus annis & excessit è vivis anno Christi 1507.

5. *Jodocus Tornator*, Veldensis, Rhætus in Curienfis Episcopalis urbis vicinia natus, eligitur anno 1508. Fuit diligens paterfamilias, adornator & extructor Bibliothecæ studiosissimus. Præfuit annis 20. multa cum laude, quibus vetustate ruinosa omnia ex fundamentis restituit præclareq; auxit. Obiit anno Domini 1528. vicesima tertia Maij, anno ætatis suæ 67.

6. *Joannes Maierus*, ex Bremaco villa Urspergensis cœnobio vicina natus, corporis & ingeniibonis præstans, virq; longe humanissimus, eligitur anno Christi 1528. Præfuit annis pene 16. quibus ædificia plurima, bellorum partim tempestatibus, partim vero vetustate vastata & collapsa præclare refecit. Obiit anno Christianorum 1543. Sepelitur cum tali epigraphæ:

D. M. Æ.

Christo pietatig, de votiss. Pater, *Joannes Maier*, Roggenburgensis, cœnobii Antistes digniss. bonorum tutor sedulus, malorum placidus corrector, ac rei domesticæ diligens administrator, hoc marmor sue memoriæ vivus P. rerum potitus annis 16. Naturæ satisfecit anno ætatis suæ 62. nostræ salutis 1543. 6. Novembr.

Tendimus huc omnes.

7. Geor

7. *Georgius Ehrman*, Memmingensis, vir multis egregiis virtutibus conspicuus, eligitur anno 1543. Præsudet sapienter & utiliter hoc adhuc currente Jubileo. De cujus insignibus tale aliquando lusi epigramma:

*Per volat erecto Paradisum corpore alauda,
In cuius rostro pendet arista grauis.*

*Verticibus volucris stellarum adjunctus aceruus,
Iudice me, populum talia nempe monet.*

*Musicus & Phœbo & Musis charissimus, istis
Temporibus, farris castra laremq. regit.*

*Ille caput superi tollens ad limen olympi,
Ad caelos facilem querit & astra viam.*

*Id est,
Roggen-
burgum.*

ROTUM vel **Rodium**, vulgo monachorū **Rotum**, **Münchs-**
Rothly / ad alterius cuiusdam **Dominarum Rodi** in **Ostro-**
francis siti differentiam sic dictum, magnificum **Præmonstraten-**
sis instituti cœnobium in **Suevia**, duobus milliaribus à **Memmingi-**
giaco, civitate **Imperiali**, in **Haslachii** & **Rotæ**, amœnissimorum
fluviolorum medio concursu situm, quorum posterior millia-
re supra **Rodum** ortus monasterium ipsum perfuit & ei nomen
hoc fecit, postea assumpto **Haslachio Bonam Cellam monialium**
cœnobium & **Aichstettum**, pagum **Friburgensium Nobilium**,
præterfluens paululum supra **Ullmam Danubio** confuit: id, in-
quam, **Rodum** fundatum legitur anno **Christi 1126**. à **Domina**
Hemma, illustris **Baronis** & **Equitis aurati**, **Henrici** à **Wilden-**
weregk, conjuge, ejus nimirum, qui in **Freudenburgo** arce habi-
tasse legitur & ex ea excepit filios **Rhenigenum** & **Chunonem**,
ejusdem cœnobii maximos benefactores, ut habet vetus **disti-**
chon, quod facello capitulari inscriptum legitur:

*Fundatrice Hemma Rhenigenum credimus esse
Chunonemq. suos, chara hic cum matre sepultos.*

Habuit initio hoc cœnobium rectores etiam **Præpositos**,
quorum omnium fere nomina intercederunt, præter **Reinhardi** **Berthol-**
& alterius cuiusdam **Bertholdi**, cujus tale adhuc in templi quo-
dam **dis.**

Bbb 2